R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore.
Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

98-106

A vueſtra illuſtriſſ

ECLOGA

PETRI ANTONII CATI VICENTINI.

MELIBOEVS.

INVIDIA

FORTITVDINE



SVPERATVR

Patauij Iacobus Fabrianus Excudebat

M. D. L.

Petrus Antonius Catus Vicentinus.

FRANCISCO BER-
nardo Vincentiæ Prætori Optimo.

Ingenij Franciſce mei Bernarde labores
Accipe nunc primos, pignus amicitiæ.
Fœcundo ſi parca ſuos conceſſerit annos,
Dulce tibi & muſis mox grauiora canet.

RPJCB

ECLOGA.

MELIBOEVS, THYRSIS.

Mel. Conquerar an ſileam? uereor ne carmina Niſæ
Noſtra magis moueant excandeſcentia bilem.
Hei mihi ſæuitia dominæ concedere fato
Cogar? & aute diem ſtygios inuiſere manes?
Lamentis parcam? nil iam mihi ſuſcitet iras:
Languenti os roſeum quamuis non inſerat ori,
Candida nec circum noſtro det brachia collo,
Quod tulerit fortuna feram: dum proximus aures
Dulce queam ueneri modulatus uellere noſtræ.
Tityre lanigeras pecudes, tu Mopse capellas:
Tecta inimica petam, dum mens exæſtuat igne,
Mitior excipiat Meliboei Niſa querelas.
Thy. Heu miſerande puer nunc captus mente uagaris:
Nec tibi cura gregis: debent huic plurima syluæ
Paſtori, driadesq́ue, & agreſtia numina fauni,
Hunc audire libet, furtim ſectabor euntem.
Mel. Sepibus incumbam ſalicum, ſi dulcius usquam
Hic nobis cœleſte canas mea fiſtula carmen.
Sceptra tenere iouis, nec pingues paſcere capras
Crediderim, ardentis tantum ſi uulnera teli
Oſtendam, quo dirus amor præcordia fixit.

Nec tam crudelis fuerit, licet ubera tigres
Admorint, quin uicta ſui miſereſcat amantis.
Charior his oculis, ſolamen dulce laborum,
Nigra ſupercilium, concedas Niſa ſub antrum,
Meq; uoces recubans: pater eſt tibi lentus in urbe,
Nec redit extrema ſenior niſi ueſperis ora.
Liba fero laſciua nouo tibi farre puella:
Et quas decerpſi noſtris de uitibus uuas:
Immani miſerere mei crudelior urſa.
Non ne uides macies ut noſtros occupet artus?
Vſq; adeo mihi ſæuus amor de corpore ſuccum
Exhauſit miſero, nec te mala noſtra mouebunt
Crudelis? libaſſe tuis mea buccula labris
Ora pudet? ſemper ne manum mihi ſæua negabis?
Quæ candore niues, & lactea lilia uincit:
Forſitan inuenias patrijs qui cogat in aruis
Plus ouium. at nulli (ſic di uoluiſtis) amori
Cedat noſter amor, quæq; eſt iam flamma medullas.
Cum me ſomnus habet, qualem deſcripſit Apelles
Formoſam Venerem tabulis, ſolaris amicum:
Cum fugit alma quies, ut ouis cum gramine primo
Accelerans uicina lupi ueſtigia ſenſit
Heu fugis, & miſeros uix ſpiritus hos regit artus.
AEger apem inuideo, penetrarem protinus aluear
Dulcia Niſa tuum, mellis redolentia regna:

Pallentes uiolas lambam cœleſtis imago,
Cum caput auricomum ſertis redimita coronas.
Infelix quæ tanta animum dementia cepit?
Taurus agris niueæ tabeſcit amore iuuencæ.
Ruſticus es,tua Nympha potens,nec curat agreſtes.
Fata inimica mori miſerum me denique cogunt.
Diſpeream ni rupe lapis, uel montibus ornus,
Eſſe uelim: crudelis Amor ne pectora uirus
Abſumat, ſæuo moriar ne ſæpe dolore
Thy. Plena tibi Meliboee fauo ſunt pectora dulci:
Et tua nectareo perfuſa eſt lingua liquore:
Aethera non melius mulcent balatibus agni:
Dulcius aeria queritur nec turtur ab ulmo.
Mel. Deperijt Phœbi ſoror Endimiona bubulcum:
Montibus & phrygijs Cytherea exarſit Adonim:
Et iaculis captare feras Dea capta ſecuta eſt:
Paſtorem puerum dilexit Iupiter alto
Sæpius igne furens, tranauit nubila cœlo
Iupiter, umbroſis & uallibus aſtitit Idæ.
Stulta quid obijcias ſancto me rure creatum?
Quid refert meus an fuerit natalis in urbe?
Nonne ego uir qualem urbani comitentur honores?
Gratior hac noſtra uix ulla eſt fiſtula Phœbo:
Vt primas poſt pana ferat. Si Corniger hircum
Exoptet, munus mihi ſit laſciuia capella:

Si te noſter amor teneat, mihi Nympha ſuperbum
Fracta animum, diſcasq; malis miteſcere noſtris.
Occidat aut ſurgat dum ſol, pulcherrima ſaxis,
Saltus atq; cauæ reſonent tua nomina rupes,
Littus et omne canat Niſam, maria omnia Niſam.
Texerit & caſſam cum uitæ lumine ceſpes
Viuas, atq; tuos iuuenes uenerentur honores,
Inuideatq; tibi ſecli decus omne futuri.
Vere nouo nihil eſt riguis formoſius hortis:
Cum florent uiolæ, cum ſe roſa pandit in orbem:
Sed cito forma perit: tibi mox tibi turpis arabit
Ruga genas, fruſtra luſiſſe pigebit amantem.
Thy. Di Meliboee tibi faueant, tua uota ſecundent:
Hæc tua uox noſtris modo gratior auribus hæſit,
Marmore q̃ præceps gelido quæ murmurat unda.
Mel. Vrimur heu Thyrſis, noſtræ uis mentis aberrat.
Aſt Amor hæc nobis præſcripſit Carmina cœlo:
Proximus abrupta tacitus cur rupe latebas?
Thy. Noram quid calamis, & quantum carmine poſſes:
Horum ego ſubſtiteram mira dulcedine captus:
Aſt fago ueteri cur non ſuccedimus ambo?
Hic Nymphis, hic ſacra Deo fabricata Priapo eſt
Sedes, paſtores huc conuenere frequentes.
Mel. Heu capite heu doleo, nusq̃ diſcedere rebar:
Heu formoſa genas animum mihi faſcinat ægrum.

Thy. Indutum præſentem animum fortuna ſequetur
Æquior, aſsiduos nec cœlum parturit imbres:
Mel. Mens erat hic iacuiſse foris, mea membra luporum
Eſca forent, fugerem ingentes ut morte labores.
Thy. Ereptam mentem non indignaris? aheno
Colla iugo? & mulier componere callida ludat?
Conſuluiſſe alijs? reliquum tibi perdite nullum
Conſilium? indigno tua Niſa ardebit amore?
Tu moriere malis? æſtiuis menſibus Ægon
Inſeruiſse manus furem deprehendit Amyntam
In gremium, ceu captæ oculos uidet igne micantes,
E furtim ignotum ſecedere conſpicit antrum.
Mel. Videris extremum me nunc, ſi uera loquaris.
Fida lupos citius concordia iungat ouili:
Vilior abiecto quam Niſa incumbat Amori.
Thy. Naribus accedit bilis, feruebit acutis:
Sæpius ante diem miſerum dimiſerit Orco.
Si tibi ſæua gregem morbi uis fortè laceſsat,
Se ſulus omnem operam dederis: tibi fata minantur,
Ingemis, & canibus pelago uenaberis apros?
Viue tibi & muſis, oculus tuus euge capellas,
Curet oues, Niſamq; procul uenus obruat undis.
Cum Galatea ferum Cyclopem exureret antro.
Dulcibus infelix mulcebat pectora Muſis:
Et muſa & cantus poterunt lenire dolorem:

98-106-10

Queis tibi plena domus, cum languida membra ſopori
Concilias, oculis nec tantum ſomnus habetur
Dulce tuis, nec api flores cum parturit arbos,
Sicelides quantum tua dulcia Carmina muſæ
Docta canunt: ſacro promittunt ſecula uati.
Mel. Dum trepidi catulos fugent formidine damæ,
Æthera amabit auis, nec piſces reſpuet æquor,
Et ſol purpureo luſtrabit lumine terras,
Carmine Niſa meus ſemper celebrabitur ignis.

FINIS.

~~H595
N479s
V.1~~

J595
N479s
V.1